

459

457

463

453

468

448

508

408

558

358

Ende

Anfang

448

sunt dilacerata et miserabiliter dependent petiae ad corpora, quibus sunt compacta. De illis corporibus vulgus multa dicit. Aliqui dicunt, quod sint corpora paganorum confecta aromatibus et ita conservata, et putant, villam ab eis denominari, cum dicitur zum Haiden. Alii dicunt, quod sint corpora Christianorum in excommunicatione sepultorum, ideo in pulverem non cadunt ante absolutionem. Aliqui dicunt, quod ex aliis causis sic perseverentur. Pro quo notandum, quod praeservatio integritatis cadaveris aliquando fit a natura, aliquando ab arte, aliquando a Deo, aliquando Deo permittente adjicio. Primo modo fit ex siccitate complexionis corporis personae defunctae, vel ex qualitate loci, quia forte semotus est ab humectatione, vel ex aliquo siderum et coeli influxu. Secundo modo fit arte humana, ut, quando corpora balsamantur vel aromatibus aliis inficiuntur, aliquando intestina et moliora de corpore tolluntur, et reliquum exsiccatur vel in fumo vel in aëre. Tertio modo a Deo ex singulari privilegio fit, sicut saepe legimus de Sanctis. Quarto modo fit arte diabolica, ad inducendum aliquem errorem, sicut patet supra Fol. 80 b. de coemeterio Saracenorum, in quo corpora mortuorum se erigunt certis temporibus. Credo illorum trium mortuorum corpora ex causa prima subsistere et indurata esse, vel ex secunda causa quoad ultimum articulum, sicut videmus corpora suspensorum in patibulis integra manere.

Die XXI., quae est S. Agnetis virginis, ante lucem refecimus nos et equos nostros; quo peracto per aulonem adscendimus per malam viam valde, quia eadem nocte nix nova ceciderat et foveas tenuiter repleverat, et nunc huc nunc illuc cum bestiis cecidimus, non autem aliter poteramus nisi pedetentim equitare; pervenimus ergo usque ad Putasten, castrum italice sic nominatum, teutonica dicitur Bütelstein, quod in alto situatum est scopulo, valles autem inferiores sunt penitus inviae, ita, quod transire volens necesse habet usque ad fortalitium adscendere, quia publica via per praeceps sursum tendit, per quam currus onerarii trahuntur maximo cum labore. Ascendimus ergo usque ad Putasten, et occurrerunt custodes fortalitii quaerentes, qui essemus et unde venissemus et quo tenderemus; et auditis causis nostris dimiserunt nos. In hoc castro est ultimus terminus dominii Venetorum et diligentissimam custodiam ibi habent tempore guerrarum, nec sinunt aliquos transire nisi requisitos. Dicitur autem Putasten

